



primendæ sensuum ferociæ & præferendæ legis existere potuisse. Hæc vero difficultas, etsi nullo posteriorum Adami vitio, sed cum natalibus allata est, recte tamen *vitiosa* habetur, quia non ab auctore humanæ naturæ profecta <sup>37)</sup>, sed primi hominis, qui, dum integer fuisset, ab ista sensuum *intemperie* abfuerat, vitio & propria culpa demum invec̄ta est. Nobis denique vitio vertitur *non* <sup>38)</sup> *difficultas ipsa*, quæ cum natalibus allata, haudquaquam nostra ipsorum culpa demum orta est, sed quod difficultatem *non superamus*. Adoratio Christi, ut hoc exemplum <sup>39)</sup> subjiciamus, haud repugnat contra interdictum, ut Dei imaginem ne quis sibi fingat. Quod si enim, ut sacræ literæ docent, ipse Deus hominem Jesum, a se procreatum <sup>40)</sup>, singulari prorsus modo secum conjungere & suam in eo perfectionem luculentissime omnium exhibere voluit (Jo. V. 26. Col. I. 19), hanc Dei imaginem (v. 15) *non nosmet ipsi nobis* (Ex. XX. 4) *fecimus*, sed *Deus proposuit*. Deinde non docemur confundere naturam Christi divinam cum humana, illive ipsi, per se spectatæ, hominis, quo tanquam singulari instrumento suo utitur, formam ac speciem affingere; sed a reprehensione anthropomorphismi longe absumus. Et enim *sensilis* cujusdam *formæ* aut imaginis cogitatio, quæ uni-

ver-

---

37) cf. Rel. innerh. der Gr. der bl. Vern. p. 42.

38) l. l. p. 37.

39) cf. l. c. p. 291.

40) cf. supra not. 17.